



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

35. An si quis v. g. hîc Panormi post publicatum Iubilæum visitavit
Ecclesias, compulsus poestea ex aliquo negotio à Panormo discedere,
possit in alio loco reliqua opera præstare, & Iubilæum lucrari? ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76369)

Confessarij, vel voti. Ita Polacchus in Iubilæo, part. 1. num. 151. & part. 2. num. 147. Sanctarellus de Iubilæo, c. 4. dub. 1. & cap. 7. dub. 1. Fernandez in Medulla, part. 3. cap. 7. §. 10. num. 2. Comitulus in respons. moral. lib. 1. cap. 7. §. 10. num. 2. Comitolus in respons. moral. lib. 1. cap. 7. §. 10. num. 2. Comitolus in Theolog. moral. lib. 5. tract. 7. cap. 8. num. 13. & alij quod patet ex praxi. Vnde in Quadragesima publicatur Iubilæum. Item tempore quatuor temporum, aut vigiliæ; & ratio est, quia non repugnat quominus vno actu pluribus obligationibus quis satisfaciat, dummodo natura talium obligationum sit paritatur, vt est in casu nostro, & ideo in Iubilæo sufficit dare elemosynam extremè indigentij, & preces audire, quas aliàs ex voto tenetur dicere, & ideo Layman ubi supra, ait quòd si Monachij Iubilæum promulgetur in Dominica oculi, illius participes fieri possunt, qui præmissis operibus in Bulla præscriptis in Dominica passionis contentur, & communicant, sicuti constat ex supradictis, consequenter tales communicantes liberi tum erunt à præcepto Ecclesiastico de Communione Paschali, quandoquidem tempus Paschale, in hac ciuitate quatuor septimanas continet. Ita ille.

RESOL. XXXV.

An si quis e. g. hic Panormi post publicatum Iubilæum visitauit Ecclesias, compulsus postea ex aliquo negotio à Panormo discedere, possit in alio loco reliqua opera præscripta facere, & Iubilæum lucrari? Ex p. 5. tit. 12. Res. 53.

1. Causa est practicabilis, & affirmatiuè respondeo, quia fauor Iubilæi est personalis, ac proinde postquam quis visitauit Ecclesias designatas, nihil refert, vbi ieiunet, & ita vbique potest eligere Confessarium eo modo quo supra dictum est. Et ita docet Layman lib. 5. tract. 7. cap. 8. num. 11. vbi sic ait. Si cuius in patria sua promulgato Iubilæo designatas ibidem Ecclesias visitet, sed eadem hebdomada causa pære peregrinationis aliò migraturus sit, vtrum ieiunium, confessionem, communionemque in alia Dicecesi peragere possit ad lucrandum Iubilæum? Resp. licet securius sit in patria, vel saltem in loco vbi Iubilæum promulgatum fuit opera omnia perficere, vnde tamen credibile illud etiam in dicto casu indulgentiam Iubilæi consecuturum esse. Quia si processio in interit, vel in Ecclesia designata oret, nihil interesse videbitur vbi ieiunet, imò etiam vbi de peccatis suis confiteatur, & communicet, cum hoc tempore cuius Ordinatio cuiusque loci exposito Sacerdoti confiteri licitum sit, sicuti ex verbis Bullæ colligitur. Ita ille.

RESOL. XXXVI.

Quis ieiunauit, & visitauit Ecclesias in prima hebdomada Iubilæi, & postea in secunda die dominico vult confiteri, & Communionem sumere; queritur, an ita lucratur Iubilæum, & Confessarius possit illum à peccatis, & censuris reservatis absolueret? Et an qui complet intra hebdomadam opera omnia in Iubilæo iniuncta, ita vt vltimum opus sit ieiunium Sabbathi, si eorum mane die dominico incidat in casum reservatum, possit ab illo virtute Iubilæi absolutione obtinere? Et quid, si post communionem Dominicæ in reservata incideret? Ex part. 3. tract. 4. Res. 152. aliàs 153.

1. Respondi affirmatiuam sententiam probabilem esse & ita illam vocat Molseus in sum. Tom. IV.

tom. 1. tract. 7. c. 16. num. 49. & 50. Bonacina de Sacram. disp. 6. q. 1. punct. 5. n. 34. & Naldus in summa, verb. Indulgentia, n. 14. asserit ita respondisse Patres Sacre Pœnitentiariæ Romanæ in Iubilæo anno 1620. licet contrariam sententiam doceat Lauorius de Iubilæo, p. 1. c. 2. n. 52. Henriquez lib. 7. cap. 11. n. 2. Nugnas in 3. p. tom. 2. q. 27. art. 3. dub. 5. Vgolinus de potest. Episcop. c. 41. §. 4. num. 5. Fernandez in exam. Theol. mor. part. 3. c. 7. §. 8. n. 3. & alij, asserentes omnia opera iniuncta in Iubilæo esse explenda physicè infra hebdomadam vnam. Verùm, vt dixi, affirmatiua opinio est probabilis, quam præter DD. citatos docuisse nonnullos patres Sœciet. IESV testatur Bonacina ubi supra, qui pro confirmatione talis sententiæ multas adducit rationes, lege illum, & non pigebit.

2. Certum tamen est, quòd si opinio negatiua esset vera licet præfatus non lucraretur Indulgentias, at tamen eius confessio peccatorum reseruatorum esset valida, quia probabilis opinio (vt alibi dictum est) confert iurisdictionem, & hoc valde notandum est; nam plures opiniones isuenientur, quæ negant confecti Iubilæum, & tamen si aliquis affirmatiuam sententiam probabilem sequi vellet, si à parte rei non esset vera, licet indulgentiam non consequeretur validè (hoc non obstante) à censuris & casibus reservatis absolueretur, & idem dicendum est de votorum commutatione.

3. Quæro tamen hic obiter, an qui compleuit intra hebdomadam omnia opera in Iubilæo iniuncta, ita vt vltimum opus sit ieiunium Sabbathi, si iterum manè in die Dominica incidat in casum reservatum possit ab illo virtute Iubilæi absolutionem obtinere? Ratio dubitandi est, quia finis talis gratiæ est obtinendi Iubilæum, quod cum iam sit obtentum, non potest quis amplius frui dicta gratia. At hoc non obstante Pater Alphonsus de Leone in tract. de Iubilæo, part. 2. sect. 5. n. 170. affirmatiuam sententiam docet, quia cum sit infra eandem hebdomadam, potest variare, & tutius procedendo iterum confiteri, & communicare, postea facere elemosynam, aut visitare Ecclesias, sua destinatione id faciendò pro vltimo opere Iubilæi; quam cautelam vidi consultam à viris doctis, etiam eis qui post communionem Dominicæ incutrerunt in reservata, nemini enim prohibetur pluries idem opus repetere pro eodem fine intra terminum concessum. Hæc omnia Leo, licet contrariam sententiam doceat Sanctarellus de Iubilæo, c. 8. dub. 6.

Alibi in ro. 8. tr. 1. Ref. 4. & in alijs eius not.

Quoad hoc inf. lege doct. Ref. 39.

RESOL. XXXVII.

An qui adimplet opera iniuncta intra duas hebdomadas lucratur Iubilæum? Ex part. 5. tract. 12. Res. 24.

1. Negatiuam sententiam docet Leo de Iubilæo, p. 2. n. 8. & 169. Sanctarellus de Iubilæo, cap. 7. dub. 1. Zerola de Iubilæo, lib. 1. c. 16. q. 9. Lauorius de Iubilæo, p. 1. c. 21. n. 6. & 52. & alij, quia Bulla Iubilæi significat omnia esse præstanda intra eandem hebdomadam; sed concessio liberalis non subsistit, nisi impleatur conditio, sub quo fit, ergo &c. & ita in praxi obseruatur.

2. Sed ego alibi probabilem contrariam sententiam tenui, & nunc iterum doceo, cum Ioanne Præposito in 3. p. D. Thom. q. 14. de Ind. dub. 10. n. 87. vbi sic ait. Quando in Iubilæis præscribuntur duæ septimanae, videtur aliquid opus poni posse priori aliud, posteriori septimana; ieiunia tamen quæ præscribuntur, videntur debere impleri intra eandem septimanam, quia id facit ad scopum Pontificis, videlicet ad maiorem carnis macerationem. Ita ille, & ex eadem Societate Layman lib. 5. tract. 7. cap. 8. num. 10. dub. 4. quibus adde amiciffi

Alibi in Ref. quæ hic est antecedens.